

te fecerunt, tam nos sapienter facimus, quia diversa ratione. 1099
 Id itaque Moses, quum non paucis persuasisset, in eum locum deduxit, ubi nunc condita sunt Hierosolyma: quem eo facilius obtinuit, quo minus quidem ac minus ob soli sterilitatem erat invidiosus, nec omnino talis, pro quo aliquis bello decertare voluisset. Est enim calculosus, & ubi sita est urbs, parum aquis abundans. Ex quibus Strabonis verbis datur intelligi, non Solymos, sed Mosem, & qui cum eo ex Ægypto venerant, fuisse urbis conditores. Fossam ad hanc urbem habuisse tradunt in lapide excisam, pedes sexaginta profundam, latam ducentos ac quinquaginta: atque e lapidibus inde egestis magnificentissimum templum, quod in urbe fuit, ab imo ad summum constructum: de eo multa alii, plura vero Josephus Judaicæ historiæ scriptor. Sed quum ab optimis institutis ad tyrannidem primo, inde ad avaritiam ac cætera vitia res ipsa declinasset, factum est, ut divino quodam iudicio non una clade, neque uno tempore, sed multis diversisque modis sit urbs ipsa sæpius conflictata. Nam, ut alia omit-
 tam, & ab Ptolemæo primo Ægyptiorum Rege (de his loquor, qui ab Alexandro Macedone fluxerunt) everfam olim accepimus. Procedente deinde tempore, Titi Vespasiani filii auspiciis eo maiorem cladem perpeffam, quo se tum magis infando, quam unquam alias piaculo astrinxerat. Mox Hadriani temporibus, atque deinceps continuatis cladibus, aliis super alias, nunquam ab ipsa malorum serie respirare datum: quæ in hujus usque expeditionis tempora discurrens, augustinam alioquin terram, sub impio Mahomethi imperio diu tenuit depresso: tam sævis premebatur armis, quum Christianæ copiæ eo admotæ sunt.

Explorato igitur urbis situ, constituerunt duces eam tripartito aggredi. Ad septentrionem Normanus & Flandrensis Comites metati sunt: circa portam, quæ Protomartyris dicitur (nam & proximo loco illi sacellum dicatum ferunt: cæterum fama tenet, eum urbe ejectum haud procul inde lapidibus obrutum) ad occidentem Gothifredus cum Tancredo. In Sion monte, qui est ad meridiem, Raimundus confedit. Aliquot prælia primo per occasionem hinc inde

*Expugnatio
urbis.*

com-